

CONCIO IV.

ignem excitat et incendium totius molendini. Secundo, repellendo incentiva alia, uti aspectus et tactus sensuales, colloquia prava, etc. Nam et hinc rota illa gyratur et ignem in mola concitat. Audi Ecclesiasticum, cap. IX. Averte faciem tuam a muliere compa, et ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Ita Pericles Sophocli praetori dicenti: O puerum pulchrum? respondit: Prætorem non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere decet, Cic. I. I. offic. Tertio, licitis occupationibus insistendo. Unde S. Hieronym. ait: « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. » Inter omnes autem occupationes præstet studium litterarum: « Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis. » Hieronym. ad Paulin. Quarto, vigilando et motus concupiscentiae quamprimum prodendo ac velut fures clamando, quomodo S. Bernandus intrante ad cubiculum suum muliere impudica clamare coepit: *Latrones, latrones,* sicque eam iterato adventantem fugere compulit. Multi idecirco vincuntur a pravis concupiscentiae motibus, quia non advertunt eos ab hoste et latrone isto prodire.

Tertio, si præterea addatur aliiquid venenati cibi, hoc est abstinentiae, pœnitentiae, et castigationis corporalis, neconon frequens usus sacramentorum, aperiuntur paulatim pori, et cognoscet homo radices suorum peccatorum, morbos suos, etc. et incalescat gratia divina, ut ita veteres illæ pennæ et fibrae concupiscentiae tandem evellantur et disfluant. Maxime vero prodest sobrietas et temperantia vini et cibi. Nam qui corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit, ait S. Ephrem, tract. de timore Dei.

Hæc tria media sunt potissima ad veterem illam pellem concupiscentiae immutandam, quod ipsum testimonio confirmabimus. Cum enim Abassini Æthiopes (ut scribunt qui in locis illis versantur in annis litteris provincia Goanæ, anno 1609.) in christianis sacerdotibus præ cæteris suspiciant castitatem (quod illorum religiosi sint impurissimi) ideoque eos angelos vocent, antistes quidam religiosus reginæ magister percontatus est patres societatis, quo uterentur remedio, quave medicina, ut sic essent casti? Responderunt illi, adhibere orationes, pœnitentias et sedulam sensum custodiam. Tum antistes: Illa, inquit, ratione tuto tale monile servatur? Placuit responsio reginæ, nec immerito. Cooperante enim homine cum divina gratia, nihil non superari, immutari et enovari potest, adeoque ex homine fieri quidam angelus.

Hæc igitur sunt animalia quæ in xenium vobis offero, etc.

CONCIO IV

DE SPIRITUALI TOTIUS HOMINIS CIRCUMCISIONE QUÆ EST MORTIFICATIO.

I. Circumcidendi capilli, hoc est, opes. — II. Oculi. — III. Nares seu judicia temeraria. — IV. Os. — V. Lingua seu loquacitas. — VI. Aures seu curiositas. — VII. Collum seu bibacitas. — VIII. Digihi seu rapacitas. — IX. Ungues seu iracundia. — X. Cor seu cogitationes malæ. — XI. Venter seu gula. — XII. Pedes seu superbia.

THEMA.

Consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer.
Luc. II.

Daniel, cap. IV. scribit regem Babylonis Nabuchodonosorem propter superbiam suam ita a Deo punitus esse, ut ex hominibus abjectus, et intereras habitans, fœnum ut bos comedere, et rore cœlis corpus ejus inficeretur donec capillie in similitudinem aquilarum crescerent et unguis quasi avium. Cui tamen, postquam oculos ad cœlum levavit, et Altissimo benedixit, sensus et figura redditæ est, regnum etiam restitutum et magnificentia amplior addita. Simili pena maculatum est totum humanum genus ob primorum parentum superbiam et inobedientiam. De paradiſo enim et regno homines ejecti in exilium adeo immutati sunt; dominante in illis et rebellante contra rationem concupiscentia, ut jam non homines sed bestiæ esse viderentur, nec amplius rationabilia sed sensualia tantum sectarentur. Etenim ex ea concupiscentiae radice tanta in hominibus pullularunt vitia, ut humanam figuram prorsus exuisse et bestiale induisse viderentur, juxta id Psalmi: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum.* Hinc Deus hominem non amplius hominem, sed canem vocabat, Gen. VI. Induerunt ferociam leonum, rapacitatem avium, lutum porcorum, invidiam canum, etc. Inde in ipsis omnia horrida et silvestria facta sunt! Quæ causa inter alias una erat, cur instituta a Deo circumcisio fuerit, ut videlicet intelligeremus hominibus adeo depravatis necessariam esse circumcisionem spiritualem, si ad pristinam gloriam et regnum redire velint. Et quidem efficit Christus ut majorem gloriam, et magnificentiam possimus obtainere quam prius habuerimus, si tamen et ipsi oculos ad cœlum levare et cultro circumcisionis, id est, mortificationis uti velimus, ad resecanda vitia nostra. Quoniam igitur a planta

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

303

pedis usque ad verticem, non est sanitas in homine, non tantum unum ejus membrum, sed omnia circumcidi debent. Id enim præcipit apostolus ad Col. III. dicens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et hæc est vera circumcisio Christianorum propria, de qua apostolus ad Philip. III. ait: *Nos sumus circumcisi, qui spiritu servimus Deo.* Illa Judaeorum concisio potius erat, ut ibidem vocatur. Atque hunc mortificationis cultrum pro xenio vobis offero, auditores, quo si sedulo usi fueritis recuperabitis deperditam hominis formam et figuram, veterem hominem exuētis et novum induetus, atque adeo pristinum regnum gloriam et magnificentiam, imo majorem acquiratis, quam in paradiso habuissetis.

I. Capilli incircumcisi et longiores sunt opes et divitiae superflua, cum tenacius retinentur et amantur. Sic enim August. in Ps. LI. scribit: « Capilli superflua rerum temporalium significant: quia enim sine sensu præciduntur illis, qui Deo adhærent, sic habent ista terrena tamquam capillos: » Sed quemadmodum Joseph non prius adductus est in conspectum regis Pharaonis, quam longi et horridi ejus capilli detonsi essent, Genes. XLI. sic non poterit in conspectum Dei venire, qui superflua opes alit, cum amore retinet: excludentur enim a regno Dei qui esurientes non paverunt, etc. Quemadmodum capilli Absalon, quia eos longiores aluit, ad extreum in queru illaqueatus est et suspensus, II. Reg. XXII. sic: *Qui volunt divites fieri incident in tentationem et in laqueum diaboli,* ait apost. I. Tim. VI. Tondere igitur et circumcidere hos capillos debet, qui sibi laqueum parare et fovere non vult, juxta præceptum Domini: *Quod superest date eleemosynam.* « Quod autem de ipsis capillis (subjungit Augustinus, dato loco) boni aliiquid fieri possit, significavit mulier illa peccatrix, Luc. VII. quæ cum flevisset super pedes Domini, capillis suis tersit quos lacrymis rigaverat; significans quia cum missus fueris alicujus debes et subvenire si potes. Cum enim misereris, tamquam lacrymas fundis; cum subvenis, capillis tergis. » Hæc August. Certe idem in Ps. CXLVII. ait: « Superflua dixi, necessaria sunt pauperi, res alienæ possidentur, cum superflua possidentur: » et in tract. L. in Joan. « Tibi superflua sunt, inquit, sed Domini pedibus, (pauperibus) necessaria sunt. »

II. Oculi incircumcisi sunt, qui sine frano per obvia quæque objecta libere vagantur, et undique circumvolant, juxta id Prov. XVII. *Oculi stultorum in finibus terræ,* id est, vagabundi per omnes mundi plagas. Unde vetus patrum dictum: « In custoditis oculis incustoditæ mentis est nuntius. » Sed dum ita temere discurrat hic nuntius, facile

fures ostendit et infert animæ, quorum opera eam necat, et deprædatur, ut ait Job. Unde dixit Dominus prorsus eruendum esse tales oculum et longe abjiciendum: melius enim esse cum uno oculo intrare in regnum cœlorum, quam duobus mitti in gehennam. Proinde Job sciens oculorum vagorum pericula, eos circumcidit, cum ait: *Pepig fædus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Cujusmodi fædus pepigere etiam monasticæ vita cultores, qui idecirco ex fundatorum instituto cucullis ita includunt oculos, ut non undique vagari, sed prorsum tantum cernere queant ad ambulandum. Quintiam Alexander Magnus rex, gentilis licet, hujus continentiae exemplum est, qui ad Darii regis Persarum filias quas captivas tenebat, eximia pulchritudine virginis visendas invitatus recusavit, quod diceret, se qui viros vicisset, nolle vinci a mulieribus. Præsagiebat enim quid sibi ex aspectu futurum esset.

III. Nares oblongiores sunt suspiciones et judicia temeraria, quæ omnia subodorantur, rimantur et dijudicare non verentur etiam longe dissita et occulta. De quibus dici potest id Jer. II. *Onager assuetus in solitudine desiderio animæ sua attrahit ventum amoris sui.* Ut enim onager libidine æstuans ventum naribus attrahendo indagat femellam etiam longe dissipata, sic nasuti homines, qui se neglectis aliena rimari et judicare gaudent, ventum rumoris et novarum rerum attrahunt, indeque statim suspicantur et arguunt, quid hic vel ille sibi velit, quid hic vel ibi facturus sit, quorsum hoc vel illud agat, ac denique naribus suis porcorum instar omnes sordes lustrant. Et vero ea plerumque suspicantur, quibus ipsi pleni sunt, et onager onogram subodoratur, juxta id Eccles. X. *Stultus in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos estimat.* Sed nemo libenter alium sua sinit rimari aut disquirere, nec æquum est ut hominum cogitationes, et intentiones, quæque Deus occulta esse voluit, homines eruant. Circumcidenda igitur sunt hæ nares et in proprium suum mittendæ.

IV. Os oblongius habent ad instar equorum et bovin, qui nulla temperantia lege utuntur, nec certis et usitatis diei horis prandent et cœnant; sed instar pecudum, quibus ora longa sunt, bovin, equorum, asinorum, etc. nunquam non edunt ac bibunt, idque non interdiu solum, sed quandoque etiam de nocte. Primo mane incipiunt, et postmodum quicquid occurrit potus ac ciborum absumunt, et suis sepeliunt ventribus. Quos ego non homines sed pecudes, nec edere ut vivant, sed vivere uteant, dixerim cum Plutarcho. Quod pecora semper fere pabulentur, probro dari eis

non potest, quia vel continuo etiam atteruntur laboribus, ut equi, asini, camelii, vel perenne lac ab eis exigimus a vaccis, ovibus, capris; vel ea saginare volumus, ut carnes nobis praebant, vellut oves et porcos; sed nulla horum necessitas in hominibus, nisi forte comedones illi saginentur a diabolo, ut paucis post mactentur et in ollas infernales mittantur: quomodo Arelatenses olim adhuc gentiles singulis annis tres juvenes coemptos per annos saginabant, et postmodum occisos super aram latam in alta columna dæmonis immolabant, ut refert Geruas, l. II. de mirabilibus terrarum, neque enim tales ordinarie diu vivere possunt, quemadmodum et animalia illa voracia, quia non interquiescunt ad digerendum plene cibum, sed stomachum habent perpetuis cruditatibus repletum. Si vitam diu conservare velis et sanitatem, fac quod monet Eccl. c. XXVIII. *Ori tuo facito ostia et seras* (ut in Græcis quibusdam codicibus legitur) ne videlicet quavis hora, sed destinata et hominibus usitata comedas. Unde os ab ostio dicitur.

V. Labia et linguam incircumeisam habent loquaculi, qui eam non custodiunt, sed undique liberam dimittunt ad suam et aliorum perniciem, instar mordacis alicujus canis, qui catena non alligatur sed vagari sinitur. Annon ea circumeisa et longa lingua, quæ ad cœlum usque extenditur et Deum altissimum blasphemat? Annon dissoluta lingua, quæ mortuis etiam detrahit? Quæ omnia carpit, omnia perdit, omne tempus occupat, omnium aures replet? Sed interim sibi et aliis nocet, sibi, quia *in multiloquio non deerit peccatum*, Prov. X. aliis, quia vel aliorum famam rodit, vel saltem aures offendit. Quemadmodum ergo fluvius inundans et lutum ac sordes in se colligit, et rusticorum prata et agros vastat; sic lingua ripas limitum suorum egrediens, et se coinquiat et alios perturbat. Coercenda igitur intra alveum suum. Et quemadmodum canis malus pre foribus caveæ sue alligandus est, ne cui nocere possit, sic et lingua; id quod natura ipsa satis superque præststit quantum in ipsa erat, dum linguam gutturi alligavit et ori quasi caveæ, dentibus et labiis velut muro et antemurali cinctam inclusit unde et Ecclesiasticus, c. XXVIII. monet: *Aurum et argentum tuum alliga* (ut habetur in Græco) *et verbis tuis facito stateram et frænos ori tuo rectos*, hoc est, alliga sensum, et cogitatum tuum taciturnitate, et impone jugum ori tuo, ne indomita verborum libertate se effundat.

VI. Aures incircumeisas habent ac longas nimis curiosuli illi, qui inutilia, noxia et nova semper, et aliorum gesta satagunt audire: salutaria vero

audire nolunt, quemadmodum Judæi, qui falsos testes Stephanum accusantes audierunt: ipso vero dicente: *Ecce video cœlos apertos et Filium hominis, etc.* continnerunt aures suas, ut proinde merito incircumcis cordibus et auribus ab eo vocarentur, Act. VII. Aures circumcisæ, sunt aures delicateæ, quæ non omnia promiscue audiunt et in cor admittunt, sed examinant prius sermones, sicuti janitor præ monasterio prius examinat eos, qui pulsant et intrare volunt: idque etiam in constructione auris naturali cernitur; folliculus enim ad ostium auris intus residens, et in voce percussus statim id quasi nuntiat phantasie. Incircumcis vero sunt, quæ tales janitorem non habent, sed ostia cuivis aperta relinquunt, quæ magno suo damno facile prædones admittunt. Quemadmodum nemo obviam quamvis aquam bibit, sed aquam fontis et limpidam, nequaquam vero sordidam, scitam aut noxiā; sic non concedendum auri, ut omnes promiscue sermones bibant. In Ægypto canes e Nilo non facile nisi in transversu tantum libunt propter metum crocodilorum, qui de Nilo enatantes sœpe eos corripunt. Faciunt hoc canes: et cur non idem faciat homo, qui tam facile corripitur sermonibus detractoriis, impudicis, etc. et sic in peccatum abripitur: abscondantur ergo aures ne perversa audiunt, detractoria, impudica, curiosa, etc. Audiat Ecclesiasticus, c. XXVIII. *Sepi aures tuas spinis et linguam nequam noli audire*.

VII. Collum nimis longum aut crassum quinam alii habent nisi peccatores, qui magnis delectantur haustibus? Philoxenus insignis ganeo optabat sibi collum gruis, quo diutius cibi potusque dulcedinem persentire posset. Hoc vero potatores consequi egregie norunt, dum breviori collo longiores affundunt haustus et altissima pocula uno tractu exhauiunt; quis vero tales potentem videns non dicat eum collum gruis habere? Sed belluina hæc colla abominatur Deus, minaturque illis per Isaiam, c. V. dicentem: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Idem majoribus istis haustibus præcidentiisbi vitam, futuram aliquin longiores, siquidem vino immoderatore calorem naturalem et humorem lenem, quo is alitur, ut habet Aristoteles, sect. VIII. probl. IV. obrunt et extinguunt, quemadmodum magna vis aquæ extinguit modicum ignem, vel ignis vehementior quam modicam. Probatum est hoc in certamine illo potatorum, quod instituit Alexander Magnus in quo non plures quam quadraginta duo, vino exanimati sunt. Præcidenda igitur tam enormia pocula, si vitam cupias longiorem. Sic enim poeta quidam canit:

Quo minus ægrotes, ne grandia pocula potes.
Sanior esse potes, si cum moderamine potes.

Esopus dixisse fertur, primum vini craterem ad situm pertinere, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam, apud Stob. ser. XVIII. de incont. Quatuor his crateribus duo postremi resecandi sunt, primi duo retinendi.

VIII. Digitos longiores, et incircumisos habent non fures tantum, ut dicere solemus, sed etiam, qui festinant ditari. Nam qui digitis est longiorius, plus e sacco tollit pecuniarum, quam qui orerioribus; proinde qui ditari festinat, nec modo luero contentus est, digitos habere longiores convincitur. Nemini hic prohibeo ne querat lucra licita, sed ne longioribus querat digitis et festinata cupiditate, ne lucris inhiando divina negligat, ne inhiet opibus, etc. De hoc enim Sapiens dixit Prov. XXVIII. *Qui festinat ditari, non erit innocens;* et ipse quoque Aristoteles, l. II. rhet. c. XVI. *Nuper ditati castigatas non habent divitias.* Quo sit ut tam repentina opes, repente quoque dilabantur, quia carent Dei benedictione, potius maledicente Deo per se dissiliunt, sicut ædificii lapides intempestive et sine arte colligati, et ædificium festinanter erectum. Unde idem Sapiens ait Prov. XIII. *Substantia festinata minutetur.*

IX. Ungues longiores, et incircumisos habent passionati et iracundi, cui levè verbo irritantur et unguis exerunt in proximos suos, probra et convia in eos jaciendo, vel etiam verbis addunt verbæ, sed non sunt unguis tales in homine tolerandi, quoniam nec natura tales ipsi dedit, sed tigribus tantum, ursis et leonibus. Quinetiam si vaccis cornua præscindimus, quæ obtinent a natura, ne se invicem lèdant, quanto magis decet ut hominibus præscindantur unguis, et cornua furoris, quibus proximos offendunt? Volebat La-ban exerere unguis suos, in fugientem a se Jacob: sed quia Dominus id prohibuit, continuit se, eique mox reconciliatus est. Dicebat enim: *Vale manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quodquam durius,* Gen. XXXI. Ecce quomodo Deus præcidit illi unguis? Atqui hoc ipsum præcidit nobis Christus, Matth. V. dicens: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, etc.*

X. Corde incircumiso sunt, qui malas cogitationes ab eo non extirpant. Quemadmodum enim ex vite vel arbusto multa inutilia enascuntur germina, quæ nisi resecantur, auferunt succum ramis et nec ipsa fructum ferunt, nec ramos ferre sinunt. Tale cor hominis: *De corde excent cogitationes malæ,* ait Dominus, Matth. XV. *homicidia, adulteria, fornicationes, etc. hæc sunt quæ coinqui-*

nant hominem. Nisi igitur præscindantur tempestivi surculi cogitationum malarum, cito prodibunt in ramos operum malorum, et fructus bonorum impedit. Quod igitur Moyses Israelitis prædicavit, Deut. X. *Circumcidite præputium cordis vestri,* hoc idem nunc ego quoque prædicto: « *Circumcidite præputia cordis vestri, id est, postquam luxuriam a carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate,* » ait S. Greg. et exponit, l. XXVI. moral. c. VII. Nisi enim surculi mature eradicentur, radices tam altas agent, ut erui amplius nequeant, sic malæ cogitationes nisi quam primum extinguantur.

XI. Ventrem incircumcisum annon illi habent, qui nihil illi detrahere volunt quantumvis angusto tempore, et rerum penuria instanti? Annon illi, qui nolunt illi demere carnes diebus etiam vetitis? Annon illi qui perpetuo otiantur, et abdomini serviunt, nec aliud agunt quam ut de lecto ad fornacem calidam, de fornace ad fenestram, de fenestra ad mensam, de mensa ad sellam, de sella ad lectum eant? O quantum malæ herbæ gignit venter nisi circumcidatur? Unde Sapiens, Eccl. XXIII. orat: *Aufer a me concupiscentias ventris.*

XII. Pedes incircumisos habent superbi, qui pedibus suis *composito gradu ambulant*, ut dicitur Isai. III. Unde enim nisi ex superbia prodeunt altiores illi calcei? Jussit quidem Dominus ut ne solliciti essemus de vestibus, siquidem nemo stature sua addere potest. Sed nunc aliter se res habet, addunt enim homines ad staturam suam fere palmum, et paulo post addent cubitum, exaltando calceos, ut nunc merito solliciti esse debeant de vestimentis. Sed circumdendi sunt hi pedes uti oravit David, Psal. XXXV. *Non veniat mili pes superbiæ.*

Post circumcisione sistitur Christus Domino in Jerusalem, Luc. II. similiter Christianus, quia ut exponit et ait S. Ambr. in hodierna hom. l. II. in c. II. Luc. *Circumcisus vitiis Dominico dignus iudicatur obtutu, quia oculi Domini super justos. Sic Ambr.*

CONCIO V.

DE DIGNITATE ET VENERATIONE NOMINIS JESU ET
ABUSU CAVENDO.

I. Nomen plenum mysteriorum. — II. Nomen pretiosum. — III. Nomen salutare. — IV. Nomen sanctum. — V. Nomen terribile.

THEMA.

Vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Luk. II.

Si quis a principe vel rege quodam praeclarum aliquod munus accipiat, veluti aureum numisma aut annulum pretiosum, sollicitus est ut donum illud sedulo asservet, cistula mundæ includat et nonnisi in magna solemnitate proferat et gestet. Ita faciebat Moyses, qui ubi manna de cœlo per manus angelorum accepit, modicum illius ad æternam rei memoriam et debitam reverentiam tabernaculo inclusus perpetuo asservandum. Exod. XVI. Similiter ubi a Deo in monte Sinai accepit tabulas legis; mox Dei jussu ædificavit arcum, de lignis Setim auro tectis, in ea tabulas illas reposuit, quod debito cum honore deinceps servarentur, Exodi XXV. Ingens donum hodierna die nos acceperimus a Deo, et donum super omne donum; videlicet nomen illud salvificum Jesu: quod etsi hodie Salvatori, tantum nostro datum est, nobis tamen in illo communicatum est: siquidem is, qui, angelo teste, ante octiduum natus est nobis Salvator, idem etiam hodie vocatus est nobis Salvator, hoc est Jesus: propter nos enim, non propter se, et natus et ita vocatus est. Et quid est manna, quid tabula legis, si cum Jesu nomine comparentur? *Patres manducaverunt manna et mortui sunt; hic est pannus de celo descendens, ut si quis ex ipso manducat non moriatur.* Panis vivus, panis vivificans. Tabulae Moyses legem Dei continebant; nomen Jesu ipsummet legislatorem continet: Manna et tabula, per manus angelorum offerebantur; nomen Jesu a Deo excoxitum, per angelum nobis nuntiatum est. Decet igitur cum primis ut nobilissimum hoc nomen sollicite et honorifice custodiamus, nec nisi magna cum reverentia in ore circumferamus. Hoc enim indicat evangelista, cum ait in hodierno evangelio: *Vocatum esse hoc nomen ab angelo priusquam in utero conciperetur.* Vult enim dicere, os illud angelicum esse debere, quod nomen Jesu pronuntiat; siquidem illud primo de monte Dei transiit in os angeli, per os angeli in aures sanctissimæ Virginis Mariae et deinde sponsi ejus. Unde pectus illud, in quo nomen illud servatur, tabernaculum esse debetur ornatissimum et purissimum: os quo vocatur, arca esse deberet de

lignis Setim auro tectis. Quando igitur hoc nomen hodie a Deo nobis omnibus est donatum, non ausim id ego rursum vobis pro xenio dare, sed potius ut hoc donum honorifice asservetis, gestetis et circumferatis, offero et opto vobis arcum, qualem extruxit Moyses, eorū, inquam, et os mundum, quo donum id includatis. Quod, ut faciatis, videte quam urgentes sint rationes.

I. Est nomen mysteriorum et sapientiae plenum. Nam instituit nos in fide et in omni actione. In fide quia docet nos mysterium SS. Trinitatis et incarnationis: Trinitatis, quia sicut nomen Dei tetragrammaton Jehovah, quatuor est litterarum significantium tres Personas, et unam essentiam. In nomine Jehovah prima littera est iod, id est principium et significat Patrem: he, id est, vita, et significat Filium: *Quia in ipso vita erat, ait Johannes: tertia vau, id est, uncinus seu nexus et significat Spiritum sanctum, qui est nexus quasi Patris et Filii:* quarta rursum he, et significat unitatem essentiae; sic in nomine Jesu (Hebr. Iesu) prima est iod, representans Patrem; secunda schir, id est, dens representans Verbum tertia vau, representans Spiritum sanctum; quarta ain, id est, fons, representans deitatem, quæ perennis est fons omnium illarum relationum et notionum, imo et omnium rerum; incarnationis vero, quia significat salvatorem ac proinde Deum incarnatum, siquidem nec purus Deus, nec purus homo proprius salvator esse poterat: non purus Deus, quia tunc nemo esset, cui satisfactio posset: non purus homo, quia hic non haberet, quo satisficeret. Salvatorem inquam, non quoad salutem aliquam temporalem, sed spiritualem, nec quoad unam tantum aut imperfectam, sed quoad omnimodam et perfectam redēptionem, justificationem, glorificationem. Nomen igitur Jesu significat opatissimam illam combinationem naturæ humanae cum divina, qua totus orbis adeo egebat, quamque veteres patres adeo desiderabant, uti sponsa inquiens: *Quis mihi dedit te fratrem?* Cant. VIII. Reliqua Dei nomina Deum creatorem, ens entium, judicem, etc. significant: nomen vero Jesu Deum fratrem, redemptorem, justificatorem, glorificatorem.

Instruct etiam nos in omni actione quid agere debeamus, ut nimur omnia quæ agimus, in ordine ad salutem nostram adeoque mediante vel duce Jesu faciamus. Sic enim toto anno nonquam erraturi essemus. Unde apost. ad Col. III. ait: *Omne quodcumque facilis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Finixerunt poetæ Ariadnam puellam dedisse aliquando

Theseo glomum fili, ut ne in labyrintho exerraret et periret, sed filo duce extricare se posset. Verus mundus iste labyrinthus est miris ambagi bus periculorum obsitus; eo si errare, si a justitia et gloria excipere nolumus, prius, num hoc vel illud ad salutem nostram faciat, discutiamus, et Deum sequamur. Ita cum oramus, in nomine Jesu oramus, id est, si ad salutem nostram facit quod postulamus, cum oras ut convalescas, dic: Domine, si facit ad salutem meam: cum negotium aliquod inchoas, dic: In nomine tuo Deus si ad salutem mihi prodest, procedat, sin minus, retrocedat.

Quoniam igitur nomen hoc tam plenum est mysteriis et salutaribus doctrinis, merito etiam exosculandum est et omni honore prosequendum. Si enim librum evangeliorum exosculamus, quia viam salutis nobis demonstrat (quemadmodum Synodi generales septima et octava docent eum adorandum, quia sacratissimas nobis res proponat) et si S. Thomas Aquinas de libro S. Chrysostomi super Matthæum dicere non dubitavit, eum se librum cum civitate Panisiorum non commutaturum, quanto magis venerari nos decet nomen Jesu, quod solum se scire dicebat Paulus, I. ad Cor. II.

II. Quia nomen pretiosum, apost. I. Cor. VI. ait: *Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Sed etiam nomen Jesu emptum est Christo, pretio magno, qui maximo illum constitut; glorificate igitur et portate id magna cum reverentia et veneratione. Quemadmodum enim Jacob non prius vocatus est Israel, id est, videns Deum, quamdiu cum angelo luctatus ab eodem in nervo vulneratus est, Gen. XXXII. sic etiam Christus non prius vocatus est Jesus et Salvator, quam sauciatus in circumcisione sanguinem pro nobis fudit. Qui etsi tunc modicus fuit, tamen quoad sufficientiam redimere nos potens erat, et præterea fuit arrha copiosioris redēptionis per passionem et mortem exhibendæ, ac proinde ex vi hujus promeruit, imo emit nomen illud maximo sane pretio. Unde si Alexander M. Sicyoni in obsidione vulneratus et sanguinem recurrentem videns: *Quam care emeris præclarum nomen?* exclamavit, quanto potiori jure Christus id de nomine illo suo dicere poterat? Nemo nescit ea nomina longe digniora esse et honorabiliora, quæ virtute emuntur, quam quæ hæreditate acquiruntur: uti cognonem Germanici, quod Justinianus, ob devictam Germaniam; Africani, quod Scipio ob devictam Africam sibi peperat. Tale vero est nomen Jesu, quia id sibi Christus per passionem suam et liberationem nostram peperit, nec prius accepit, quam

initium ejus faceret. Unde fit Christum magis glorificari in nomine Jesu, quam si vocetur præcise Filius Dei, vel Deus exercitum, Sabaoth, etc. hæc enim per hæreditatem accepit: illud per proprium sanguinem sibi peperit. Etideo a Saulo prostrato interrogatus, qui es Domine, non respondit: *Ego sum qui sum: vel ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob, etc. ego sum Jesus quem tu persequeris.* Quia ex re colligere debemus, quantum revereri et exosculari debeamus hoc nomen, quod ut nobis salutem pareret, tanti liberatore nostrum constitit. Nam si in nomine Jesu magis glorificatur, quam in nomine Dei, sequitur etiam magis offendit in nominis Jesu abuso. Etsi pretiosum aliquod balsamum, unguentum vel oleum, uti e gemmis et margaritis distillatum, tam marinum sit, et aureis argenteisque thecis tam sedulo asservatur, ac guttatum ægris inititur: quanto magis id debetur nomini Jesu? Annon de illo sponsa dicit, Cant. I. *Oleum effusum nomen tuum?* Oleum, inquam expressum in torculari crucis, et de vulneribus et membris Christi distillans: effusum vero, quia toti orbi copiose propinatum et oblatum. Sed unde major Christo debetur honor, inde minor exhibetur et tam pretiosum oleum, quo copiosius et oblatum, tanto vilius estimatur et effunditur ex ore hominum inter jocos, risus, rugas, detractiones, turpiloquia, etc. quasi nihil Christo constitisset. Hoc enim est quod queritur Ps. XXI. *Sicut aqua effusus sum.*

III. Quia nomen salutare: *Nec enim aliud nomen,* inquit S. Petrus, Act. IV. *datum est sub celo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et quid aliud sonat Jesus, quam quod I. ad Tim. I. dicitur: *Quia Christus Jesus venit in hunc mundum, peccadores salvos facere?* Et ibid. c. I. *Omnes homines vult salvos fieri.* Tametsi enim ante Christum alii quidam vocati sunt eo nomine, non tamen ita uti Christus, quia nec ab angelo, nec ob eam rationem, quod salvum facturi essent populum a peccatis eorum, quemadmodum de Christo angelus dixit: sed ob temporalia quædam commode per ipsos populo præstanda, uti Josue, quia dux futurus erat in Israel, et populum introducitur in terram promissionis; Joseph, quod Ægyptum et innumeros homines a fame liberasset, etc. Jesus vero venit introducere eos in celum, liberare a fame gehenna. Jam vero Josepho, dum in regio currū circumvehetur, et ore præconis honorandus proclamaretur, quod Ægyptum a periculo famis liberasset, tanta exhibita fuit reverentia, ut quacumque veheretur, omnes ante illum genu flecterent, Gen. XLI. Quid nos facere decet, cum Salvatorem nostrum verum et unicum in regio illo curru nominis Jesu circumferri, et pro-